

modo doceri potest: integritas vero nec muneribus corruptitur, nec acceptione personæ.

Verbum sanum, irreprehensibile. Nullius adulationis acceptione languens.

Ut is qui ex adverso est vereatur: nihil habens malum dicere de vobis. Qui tibi potest contadicere, si quid in te tale notaverit.

Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes. Quæ imperant iusta.

Non contradicentes. Ne murmurationem facientes, & mercede privemini, & homines exitatis ingrati.

Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. Sive in his quæ illis conceduntur, sive ut in opere ostendant bonum esse quod credunt.

Ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus. Dum eorum operibus laudantur.

Apparuit enim gratia Dei, & Salvatoris nostri omnibus hominibus. Nullam conditionem excipit.

Erudiens nos: ut abnegantes impietatem, & secularia desideria. Seculare est omne desiderium carnale, & omnis habitatio temporalis.

Sobriè. Perfecit, Domino dicente: Attendite ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vite.

Et iustè & piè vivamus in hoc seculo. Iustitia non temperatur, nisi pietas adjungatur.

Expectantes beatam spem. Qui ejus mandata servaverint.

Et adventum gloriae magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Spiritum dicit magnum Deum, quia ipsius expectamus adventum.

Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Quia se dedit, caveamus ne beneficium ejus inane & irritum faciamus.

Hæc loquere & exhortare. Omnis sermo tuus in hac exhortatione consistat.

Et argue cum omni imperio. Acriter argue eos qui ita non vivunt.

Nemo te contemnat. Talem te exhibe, ne contemni possis. Vita enim auctoritatem tribuit verbo.

Caput III.

ADMONE illos, principibus & potestatibus subditos esse: dicto obedire: ad omne opus bonum paratos esse. Non ad aliquod malum.

Neminem blasphemare. Ne illos quidem qui merentur. *Non litigiosos esse, sed modestos.* Ne vicem reddendo provocent litem.

Explicit Commentarius in Epistolam ad Titum.

COMMENTARIUM IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM

Caput unicum.

PAULUS vinculus Christi Jesu, & Timotheus frater.

In carcere vel in catenis. *Philemoni dilecto adjutori nostro: & Apphia sorori charissima.* In Evangelio adjutrici. Apphia vero soror vel conjux creditur.

Et Archippo commilitoni nostro. Hic diaconus erat, de quo ad Colossenses ait: Dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti ut illud impleas.

Et Ecclesie, quæ in domo tua est: Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. Cum omni gratiarum actione, & cum gaudio exorat.

Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in ora-

tionibus meis, audiens charitatem tuam & fidem. Quæ nobis in bonis operibus innotescit.

Quam habes in Domino Jesu, & in omnibus sanctis. Qui diligit caput, necesse est eum omnia diligere membra.

Ut communicatio fidei tue evidens fiat in agnitione operis boni in Christo Jesu. Omnes sanctos diligis, intantum ut omnes boni nostri rum in Christo evidenter te fidelem esse cognoscant.

Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te frater. Quos hospitio recipiens refecisti.

Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu, imperandi tibi. Cum nobis causa ipsius dederit fiduciam imperandi, tamen charitate faciendi obsecrare maluimus quam jubere.

Quod

Quod ad rem pertinet. Quod ad rem pertinet rei Christianæ.

Propter charitatem magis obscuro cum sis talis ut Paulus senex: nunc autem & vinculus Jesu Christi. Moribus talis, qualis ille, qui in senectute etiam pro Christo vincula non recusat.

Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit: nunc autem, & mihi & tibi utilis, quem remisisti tibi. Quando erat gentilis vel carnalis.

Tu autem illum ut mea viscera suscipe. Velut filium nostrum charissimum.

Quem ego volueram tecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii. Ex hoc cognosce qualis sit, qui mihi ita placuit ut tua vice ministraret.

Sine consilio autem tuo nihil volui facere. Ita loquitur ut eum ad ipsum remittat, sive ut magis ejus utilitas commendetur.

Ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Notandum quod neminem voluerit necessitate boni aliquid facere, ne mercedem amitteret.

Explicit Commentarius in Epistolam ad Philemonem.

ERASMI ARTIS ANNOTATIO IN EPISTOLAM AD HELIODORUM.

CÆTERUM quando divus Hieronymus in proxima Epistola fatetur in hac re rhetorum stultitiam, fortasse non alienum fuerit artis quoque rationem, quam sequutus est, indicare: sed paucis, neque nimis anxie, ne duo pariter incommoda nos sequantur: ut & molesti sumus lectori, & salubribus huius viri præceptis pondus ac fidem detrahamus. Minus enim movere solent animos, quæ non ex animo, sed ex arte scripta putantur. Atque ut primum de argumenti genere non nihil attingamus, exhortatorium est, sicut antè dictum. Id adeo confine est suasio, ut Aristoteles non putarit ab eo separandum. Tameñ meo iudicio non parum interest. Suademus enim, ut quis velit: hortamur, ut audeat & possit. Suademus hæsitanti, hortamur cessantem. Suademus, cum offendimus quid expediat fieri: hortamur, cum addimus animum. Cum enim imperator commissurus cum hoste, militem exhortatur: non hoc agit, ut miles intelligat esse pugandum, sed addit calcar, ut quod vult, audeat & possit. Quamquam partes ferè conveniunt utriusque generis, nempe, honestum, laudabile, tutum: possibile, necessarium, facile, jucundum, & si quæ sunt alia. Ab his enim omnis argumentatio petitur. Habet hoc peculiare exhortatio, quod ardentior est, & multum laudis habet admixtum, qua tamen hic non utitur Hieronymus. Duabus enim rebus homines potissimum extimulantur, laudis amore, & ignominie metu. Sunt autem huiusmodi libelli nihil aliud quam Christianæ declamationes. Etenim cum viderent eloquentiam rem esse pulcherrimam, simul & utilissimam, neque decorum existimarent, inter prophanos rhetores, in nugacissimis argumentis exerceri: videlicet an Isthmum debeat interdicti: an Alexander Oceanum ingressus longius progredi debeat: totam declamandi rationem, sicuti Socrates Philosophiam, ad morum institutionem traxerunt: quoque res magis esset seria, mutato declamationis nomine, libellos, aut Epistolas vocaverunt: ut eadem opera geminam utilitatem consequerentur, dum & eloquentiam exerceret, quæ citissime arefcit, ut ait M. Tullius, & salubribus monitis ad pietatem exhortantur.

Quanto studio. Quoniam in hoc genere non adhibetur exordium, cuiusmodi solet in genere judiciali: nec opus est narratione, sicuti testatur & Quintilianus: & tamen oportet unicuique rei aliquid esse initium, Hieronymus ferè semper propositionem, qua summam rei complectitur, cum

Tom. V.

Forstam enim idgo discessit ad horam à te, ut in æternum illum reciperes. Fortè hoc Dei providentia procuravit.

Jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem. Jam enim non quasi ex necessitate servus, sed quasi frater voluntarius.

Maximè mihi: quanto autem magis tibi, & in carne & in Domino. Cui & carnaliter, & secundum fidem debet obsequium.

Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam: ut non dicam tibi, quod & te ipsum mihi debes. Ita frater ego te fruor in Domino: refice viscera mea in Christo. Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id quod dico facies. Simul autem & para mihi hospitium. Nam spero per orationes vestras denari me vobis. Hic ostenditur quia prima vice sit ex urbe dimissus.

Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu: Marcus, Aristarchus, Demas & Lucas adjutores mei. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen. Non alicujus criminis causa, sed fidei societate.

aliqua narrationis specie conjungit. Cum enim exponit quem admodum Heliodorus in æternum abeuntem se sit persequutus: utque ipse frustra illum rogaverit, ut secum maneret, narratio quedam est. Deinde cum ait, hoc se literis agere, ut relictis urbibus eremum petat, propositio est. Nec in his tamen frigit, verum ardet ubique divus Hieronymus, vir acris, ut apparet, ingenii, & in utramque partem vehementis. Laudat enim ardentem quos amat: inlectatur acriter quibus infensus est. Mirum est autem quibus numeris omnem orationem componit, quibus periodis omnes absolvit sententias. Itaque membris, incisis, comparibus structa sunt omnia. Quanto studio & amore contenderim, usque ad eum locum, verum tu, gemina periodus est, sex absoluta membris. Rursus has duas, alia tertia cumulavit, quæ duobus membris, & quatuor constat incisis. Verum hæc quoniam perpetua sunt, non est sententia persequi.

Tacerem? Eleganter miscuit dubitationem cum subjectione. Est autem pariter & dilemma. Subiungit in singulis partibus singulæ sententiæ, sed ad personam accommodatæ, quas ita possis absolute dicere: Nemo quod ardentem vult, dissimulare potest. Et non audit, qui non amat: & amor amici absentis desiderio cruciatur.

Inviro, jam propra. Hæc est propositio, qua summam argumenti exponit.

Nolo pristinam necessitudinem. Hoc est caput & veluti limen argumentationis, id agens, quod in altera divisionis judicialis parte solet. Primum enim amolitur ea, quæ videbantur illum ab eremo posse detertere: Affectus amicorum & parentum: Difficultas peregrinationis longinquæ: Amor & commoditas divitiarum. Porro partes has enthymematibus complectitur.

Affatim dives. Et hanc partem clausit epiphonemate, sicuti ferè gaudet claudere omnes, non solum exordia, sed & transitiones & narrationes, & argumentationes, & si quid aliud est, quod periodum atque orbem aliquem habet. Facit autem hoc epiphonema gratius *καρρίσιμος*, accessio, quæ est in vocibus inter se pugnantibus, pauper & dives.

Sed quid ago? Aptè per correctionem ingressus est primam argumentationis partem, nempe de affectibus amicorum. Admiscet & sententiam: Debet amor lætus irasci: quamquam quicquid usquam loquitur divus Hieronymus, ferè sententia est. Notat autem hoc Quintilianus in declamando,

A a a a